DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

DE

LICHENE,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI

DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI

DECANI,

NEC NON

CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE VINDOBONENSI,

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Eduardus Mikschik,

Moravus Strassnitzensis, C. R. Convictus Alumnus.

In Theses adnexas disputabitur in Palatio Universitatis
die 2. Maji 1835.

VINDOBONAE.

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

ILLUSTRISSIMO

DOMINO DOMINO

FRANCISCO ANTONIO

E COMITIBUS A MAGNIS,

S. C. ET R. A. MAJESTATIS CAMERARIO,

INCLYTORUM STATUUM MORAVIAE ET SILESIAE MEMBRO,

ETC. ETC.

VIRO

INGENIO, SCIENTIA ET HUMANITATE

AEQUE INSIGNI,

IN AETERNAE GRATITUDINIS ET SUMMAE VENERATIONIS

SIGNUM

HAS PAGINAS SACRAS ESSE VULT

devinctissimus Auctor.

ILLUSTRISSIME COMES!

Communis juniorum scriptorum mos est, celsi cujusdam et valentis viri nomen operibus suis inscribere, sub cujus aegide tutos sese et securos esse existimant. — Certe ego mihi non ita suffenus sum, ut potius musam meam torpentem inculparem, nisi Maecenatis cujusdam favor in eam redundaret. Ast neque consuetudo iners, neque factuosa ambitio, sed pietatis et gratitudinis summae major necessitas me induxit, primos studiorum meorum fructus NOMINIS TUI auctoritate condecorare. — Toties enim favoris et clementiae TUAE ubertatem a teneris expertus fui, ut omnes nervos eo intendere primum officium pu-

tarem, multiplicis gratiae TUAE copiam, aliquo saltem modo compensare.

Utinam lingua adeo diserta, viresque voluntati pares essent, ad laudes TUAS, ea quam merentur facundia, propalandas. — Nolo tamen officio meo nunquam plenarie absolvendo totus deesse, et auspicia TUA pro meo libello deprecor, ut si quid in eo boni esset, per NOMINIS TUI splendorem augeatur.

Plurima in medicina latent gerendarum rerum arcana, — innumera et inaccessa mortalibus supersunt, operantis naturae mysteria! — Noli exspectare ILLUSTRISSIME COMES! a juvene medico, quem experientiae annosae robur

nondum firmavit, tantam ingenii vim, ut horum aenigmatum Oedipum agere auderet, quae maximorum in arte virorum frustra tentarunt ingenia. —

Noli ergo, juveniles meos spernere labores, et CLEMENTIAE TUAE auram in posterum quoque mihi adspirare digneris, qui nil ardentius opto, quam ut fausta fortunataque omnia per Superum favorem TIBI contingant. —

Illustrissimae Tuae prosapiae

devinctissimus gratissimus
AUCTOR.

„Saepe latent alta tectae caligine causae,
„Quas opus est, acri, per lucida discere signa,
„Judicio."

Hebenstreit Carm. de hom. san. et aegrot. p. 140.

Introductio.

In eligendo pro dissertatione inaugurali argumento diu haesitans, Lichenem — morbum sat frequentem, minus examinatum, multis aliis analogum, describere mihi proposui. Ast, quas auspicatus sum difficultates, sub ipsa elaboratione multo majores et viribus inexperti tironis non facile superandas inveni. — Vix ulla datur in vasto scientiarum medicarum campo doctrina, in qua de classificatione, de nomenclatura adeo dimicatum fuerit, quam in illa de cacodermatibus. Innumerandae in quavis efflorescentiae cutaneae specie occurrunt modificationes, et ejusdem morbi varia admodum observatur imago pro variis, sub quibus occurrit, circumstantiis, sede, intensitate, periodo, complicatione. Toties igitur accidit, ut eidem impetigini plures tributae fuerint denominationes; aut e contra, uno nomine diversi complectebantur morbi. Neque inter vocabula, quibus quid designare volunt, auctores consentiunt, et nondum satis distinctae sunt significationes, papulae pustulae, bullae, phlyctenae. Magnam, quae inde oriri debuit, confusionem, clarissimus *Robertus Willan* dissipare adnisus, novum statuit Systema, omnesque morbos cutaneos in octo redigit ordines:

Papulas, Squamas, Exanthemata, Bullas, Pustulas, Vesiculas, Tubercula, Maculas. Secundum illud Systema Lichenem consideraturi, ad papularum Or-

dinem eum relegamus, papulae quoque definitionem eandem cum eximio illo auctore retinentes:

Papula est elevatio cuticulae minima, acuminata, in basi inflammata, quae fluidum raro continet, nunquam suppuratur et cum desquamatione furfuracea finitur.

Hisce praemissis, quidquid ex optimis de Lichene meritis auctoribus in unum collegi, in quantum exiles concedunt vires, depingam.

Denominatio.

Lichen, Graecorum ὁ λείχην (a λείχω, λίχω lingo, lecken, quoniam lichen parasitarum in morem latius diffundi amet) 1) Hautschwindflecken, Frühjahrsausschlag, Hautmoos, Skorbutische Blätterchen, Flechtenartiger Ausschlag, der Flug. *Gallis* Dartre farineuse, Poussée, Papules. *Anglis* Spring-Eruption, Scorbutic Pimples.

Notitia morbi historica.

Hippocrates sub Lichene morbum cutis superficialem intelligit, cum pruritu incedentem et furfuribus finientem, uti commentatores illius eruditissimi consentiunt.

Sic *Foesius* 2): Λείχην est summae cutis vitium

---

1) *Gorraeus* Defin. Med. p. 361.: »Videntur autem Lichenes appellari non quod linctura salivae humanae curentur, ut quidam opinati sunt, sed ἀπὸ τȣ̃ λείχω, id est, lambo, ut inquiunt grammatici, quod scilicet lambendo serpant, sicut etiam in petris Lichen solet.«

2) Oeconom. *Hippocrat.*

ut ψῶρα et λέπρα, cum asperitate et levi pruritu, deterius quidem pruritu, psora autem et lepra levius.

Dein alio loco 1): Sic etiam τὰ λειχηνώδεα ἐξαιρόμενα, lichenes tuberosi, turgentes, in tumorem sublati, hoc est, cum pustulis et papulis, dicuntur.

Alias 2) Cutis foeditates et vitia lichenes potius censentur quam morbi.

Dein quoad Metastases a Lichenibus oriundas: Neque absimili modo Lichenes corporis profundum, vitiosis humoribus in cutem erumpentibus expurgant.

Gotter, de eodem *Hippocratis* aphorismo 3): »In hoc loco *Hippocrates* per Lichenes intelligit talem cutis foeditatem, in qua summa cutis pustulis siccis 4) admodum prurientibus exasperatur; sed quia humor totus fere volatilis est, non relinquit squamas ut Lepra, neque furfures ut Psora, sed siccam et asperam pustulosam cutim.«

Galenus 5) et secundum illum omnes fere auctores Graeci duos adducunt Lichenes, *simplicem* et *agrium* (λείχην ἁπλῶς καὶ λείχην ἄγριος); sed ille auctor huc quoque refert cacoderma pustulare faciei (σύκωσις) 6) et mentagram Plinii 7). *Celsus*, cui Ignis sacer, Herpes et Impetigo synonyma videntur 8), Lichenem Graecorum simplicem et agrium, papulam vocat.

---

1) Lib. 4. Epidem.
2) Lib. περὶ παθῶν.
3) Aphor. 20. lib. 3.
4) Pustula veteribus fuit elevatio cutis, hinc pustula sicca, idem, ac papula.
5) *Gal.* Introd.
6) *Galenus* de compos. med. I. 5.
7) Hist. nat. l. 26. — de re med. 2, 56.
8) *Cels.* Lib. 5. cap. 28.

Petrus Forestus Alcmarianus 1): »Sunt tamen, qui Graecorum Lichenes, impetiginem a Celso vocari, contendunt. Verum enim vero, cum ipse seorsim scribat de Impetigine, et quatuor ejus species faciat libro quinto suae medicinae, evidenti argumento convincitur, eum aliam rem per impetiginem intellexisse, quam Graecorum Lichenas.«

Plinio quoque Lichen et impetigo idem fuit morbus; sic et plurimis subsequis auctoribus: *Amato Lusitano*, *Fernelio*, *Plenk*, *Vogel*.

Stephanus Blancard 2): »Lichen Graecorum, est Impetigo Plinii, sive inaequalitas cutis cum insigni pruritu et pustulis siccis, ad vicina serpens atque extendens.« *Leonus* 3): »Impetigo latine, λειχην graece, dicitur ille adfectus, quem vulgo *volaticam* appellant: talem morbum Romani difficilem factum, quoniam a mento fere inchoabat, vel praecipue id adficiebat, *Mentagram* vocarunt. Irrepsit in Italiam hic adfectus, Tiberii principatu, antea universae propemodum Europae incognitus, sine ullo dolore et sine vitae pernicie, tanta tamen foeditate, ut quaecunque mors praeferenda esset. Est autem levis cutis infectio, quae dum talis manet, cum sola videlicet cutis aspredine ac pruritu, impetiginis nomen retinet ut dicimus; dum pejor fit, nomen siculi formam mutat.«

Alii, uti *Sauvage*, *Bertrand* cum Herpete illum confundunt. *Lorry* 4): »Tertia Lichenum species saepe cum fundo miscetur herpetico, unde, sublatis qui

1) Lib. I. pag. 61.

2) Lex. med. Vol. I. p. 715.

3) Method. cur. tumor. praet. natur. cap. 42.

4) De morbis cutaneis p. 150., 244. et 349.

primo adparuerant Lichenibus, in verum Herpetem mutatur.«

Neque Arabum medici, Lichenes a Herpete bene distinguunt. *Serapion* illum describit, qua efflorescentiam cutis prurientem, quae in impetiginem abit.

Avicenna Herpetem, quem Formicam dicit, describens, Lichenem subsumit: »Formica est Bothor quae egrediuntur et faciunt accidere apostema parvum, et ambulant, et fortasse ulcerant; fortasse resolvuntur; et ad summum (scil. cutis) omne apostema in cute ambulativum, quod latitudinem non habet, est formica.

Sunt, qui Lichenis nomen silentio praetereunt, uti *Daniel* 1): »cutis non indurans *asperitas?* modice ad limbos saepe rubellos pruriens, epidermidem in folia convertens.

Etiam recentiores in denominatione dissentiunt. Sic *Sauvage* Herpetem *dartre* appellat, quod nomen a *Lorry* Licheni impertitur 2). »Lichenum nomen apud *Hippocratem* universaliter sumitur pro endemica cutis efflorescentia, unde mirum videtur et parum diligens nomen illud latinis per impetiginem reddi. Sed in hisce morbis magnam reperimus nominum confusionem. Unde Lichenes, a Graecis ipsis parum intellectos, ab Arabibus, ut mihi saltem videtur, praetermissos, pro depuratione cutis particulari habebimus, cujus nobis ideam exhibere possunt eruptiones illae, quae Gallis dicuntur *Dartres farineuses.*«

Egregia est *Pouparti* 3) Lichenis ad naturam de-

---

1) System. aegritud. Vol. I. p. 162.

2) Loc. cit. p. 243.

3) Traité des Dartres p. 234.

pieti descriptio: »*Quelque fois ce ne sont, que des inégalités, qui paraissent des differentes grandeurs sur la peau, tantôt à un endroit, tantôt à l' autre. Quelquefois ces inégalités sont accompagnées ou produites par de trés-petits boutons rouges, qui blanchissent souvent en peu de jours, et qui font tomber l'épiderme en petits ecuiles blanches.*«

Morbi Definitio.

Character genericus Lichenis a diversis auctoribus sub diversis morborum generibus depictus fuit. Sic:

Sauvage — Herpes.

Plenk — Herpes, Lichen, Prurigo.

Vogel — Impetigo, Herpes.

Lommius — Psora, Papulae, Erysipelas, Impetigo.

Ludwig — Scabies.

Est vero character permanens Lichenum: Oriuntur in basi communi inflammata, constant ex papulis conglomeratis, quae cum defurfuratione epidermidis finiuntur 1). His rite perpensis, sequentem statuimus Lichenis definitionem:

Lichen est eruptio cutanea, sistens congeriem papularum, quae ex area inflammata pruriente quidquam, supra cutem elevata, circulari, ovali, vel irregulariter conformata efflorescunt, aggregantur, et cum furfuracea epidermidis separatione finiuntur.

Character igitur genericus, quem *Sauvage* 2)

---

1) *Lupius* de Lichenibus, Budae 1778.

2) Class. I. ord. II. pag. 17.

herpeti tribuit, parum a nostro aberrat. »Herpes est papularum congeries, seu efflorescentia ex tumoribus et vesiculis exiguis, rubris, aggregatis, pruriginosis, in squamas furfuraceas, raro crustaceas abeuntibus.«

Ubi papulae sub frictione vel scalptura disrumpuntur vel lacerantur, exsudans in apice fluidum tenax, in crustulas flavicantes minimas coit, quae in area qua puncta elevata adparent et peculiarem illi aspredinem conciliant; atque haec sunt *squamae* illae *crustaceae*, quas *Sauvage* signis characteristicis adnumerat.

Antequam area in furfures abit, corrugatur epidermis, quoniam sub stadio I^mo. inflammationis magis expansa et tensa fuerit; II^do. vero stadio et fracta phlogosi concidit iterum et tam diu plicas rugosas format, usque dum necessariam ad defurfurationem siccitatem adquisiverit.

Separationem autem épidermidis semper sub eadem Forma secundum leges immutabiles fieri, morbi alii quoque testantur; uti: Exuvia epidermidis a Raphania (Kriebelkrankheit), Tyriasis (Schlangenaussatz), Ichthyosis (Fischschuppenaussatz), Porrigo (Kleyengrind), exanthemata plura, sub quibus cuticulae separatio constanter nunc squamosa, nunc furfuracea vel farinacea fit, dum alias largam sistat exfoliationem; quae omnia devincunt, in Lichenibus furfures esse signum characteristicum, nunquam negligendum.

Hypotyposis.

Sunt casus, licet rariores, ubi Lichen efflorescit, quin per prodromos annunciatus fuerit. Bene tunc ceteroquin valent, qui hoc corripiuntur morbo, et consuetis funguntur officiis. Frequentius eruptionem leves antecedunt motus febriles, qui hinc inde ad majorem

evolvuntur gradum, omnibus quibus febris inflammatoria solet, concomitati symptomatibus. Ingruens delassatio spontanea aegrum lectum petere cogit, caput dolet, facies turget, calet, loco adpetitus polydipsia urget, nauseam et frequentes vomituritiones nonnunquam vomitus ipse sequitur, torquet gastrodynia: Dolores extremorum profundi articulationes imprimis tenent. Cutis sicca rubet, calet: pulsus tanguntur frequentiores hincinde fortes, duri, aequales. Versus finem secundi nychthemeri componuntur paulisper turbae febriles, incipitque propullulare *Lichen*: in area scilicet inflammata, ad margines dolente, quidquam supra cutem elevata, progerminant papulae in genis I^mo. et mente in genere adparentes, intra paucos dies per collum, truncum et extremitates extensae. Papulae in insulas congrediuntur a se invicem nunc separatas, nunc confluentes; color earum in genere est laete rubens, cujus tamen variae observantur modificationes, sub specierum descriptione adnotandae. Pruritus, qui in morbo vehementiori ad dolorem ardentem exasperatur, noctu et sub lecti tepore exasperandus, qua signum characteristicum nunquam deficiens, ab auctoribus adnotatur; (nos autem in clinicis duos observavimus *Lichenes*, qui vix pruriebant). Forma papularum uti color variat; nunc enim minores, solitariae et acuminatae adparent; alias majores, minus acuminatae, numerosissimae congrediuntur. Sic evolutus, per septimanam plerumque immutatam faciem profert morbus; hac finita, id quod saepe nonnisi post tres quatuorve hebdomadas accidit, rubor pedetentim albescit, corrugatur cuticula, quae deinde sub forma furfurum copiosissimorum secedens, morbi finem imponit. Accidit autem, quod papulae adpareant iterumque dispareant, quin intercedat furfuratio; alias eruptio

et furfuracio repetitis vicibus sese invicem excipiunt, morbique decursum per menses extendunt. Sunt casus, ubi lichenosa eruptio per totum diffunditur corpus, sunt alii e contra, ubi faciem nonnisi vel extremitates obsidet, ita, ut morbus adeo mutabilis describi adcurate vix possit, nisi singulis sub quibus occurrere solet speciebus et varietatibus, per se et seorsim spectatis.

Divisiones.

Multiplices, sub quibus *Lichen* occurrit, formas quidquam adcuratius examinanti, duae species, symptomatibus constantioribus stipatae, a se invicem bene distinctae, obviam veniunt; A) *Lichen simplex* — B) *Lichen agrius.*

A) *Lichen simplex* sese manifestat per eruptionem papularum parum prurientium, minimarum, quae raro milii magnitudinem exsuperant, in insulas conglomerantur, nunc majora nunc minora relinquentes interstitia.

Observatur tamen morbi, tum quoad originem tum quoad formam et decurrendi modum, differentia, cui *Lichenis* simplicis in *acutum* et *chronicum* divisio superstruitur.

Eruptionem *Lichenis simplicis acuti* symptomata quaedam febrilia, etsi levia, imprimis kephalea, turgor vitalis, calor et siccitas cutis, pulsus modice citati, annunciant. Secunda plerumque die componuntur turbae febriles, eodemque simul tempore propullulant papulae, quarum primae in facie et brachiis ordinarie observantur. Insident areae rubicundae, calenti, pruritumque provocant noctu difficiliorem. Per septimanam plerumque immutatae manent, deinde, eodem in regu-

la ordine quo erupuerunt, pallescere incipiunt, cutisque defurfuratione copiosa, in articulis diuturna, suum absolvunt cyclum. Licet multae observentur quoad decursum aberrationes, regulariter morbus vix ante secundam finitur septimanam, nec ultra tertiam extenditur.

In *Lichene, qui chronice decurrit,* nec ullum adest indicium praecedentis febris. Antequam adparet cacoderma, levis persentitur titillationis et pruritus sensus, tangitur in cute aspera nodulus duriusculus in brachiis plerumque primus, qui pedetentim elevatur, et multiplicatus papulas format cuti concolores, non inflammatas neque dolentes, quae nunc immutatae manent, nunc vero disparent, per alias novitus exortas substitutae. Decursus chronici minus definitus, ultra septimanas, per menses ordinarie extenditur, donec cutis densior et crassior sub forma furfurum copiosissimorum separetur.

Attamen morbus non in omni casu vix descriptum servat modum, neque rarae sunt ejus, quae observantur, modificationes. Papulae, quae faciem obsessam tenent, non raro tubercula imitantur ἄκνῃ non dissimilia, dum in pectore et extremitatibus inferioribus magis adcuminentur, in superioribus autem profundius tinctae formae vesiculari propius accedant. Neque quem seligunt locus, idem semper est; in genere acutus praediligit faciem et truncum, chronicus e contra extremitates, κατ' ἐξοχὴν superiores. *Lichen* simplex in recidivas nimis pronus, verno plerumque tempore redit, unde a clarissimo *Plenk* Frühlingsausschlag nuncupatur.

Varietates Lichenis simplicis.

Diversae et numerosae ab auctoribus adducuntur *Lichenis* formae; quae vero, dum nullas offerant differentias essentiales et absque constante regula, cum diversa hominis constitutione, cum diversa origine, faciem suam mutent, a nobis nonnisi uti varietates ejusdem speciei considerantur, quarum frequentiores adducere sufficiet.

1) *Lichen pilaris* eo distinguitur, quod papulae nonnisi ibi adpareant ubi pili per cutem prorumpunt, ita ut ad radicem singuli pili elevatio tangatur, e cujus centro pilus bulbus tumet, progerminat. Magna est cutis sensilitas et molestus pruritus sensus, quo aegri ad frictionem invitantur, unde papulae pro tempore intumescunt, mox iterum concidentes. Occurrit plerumque in hominibus irritabilibus, cum kephalea alternans 1). Decursus in genere est taediosus.

2) *Lichen lividus.* Facile dignoscitur a reliquis varietatibus per papulas ex atro purpureas, quae supra cutem elevantur, nunquam febri concomitantur, quae sedem vix non semper in extremitatibus inferioribus figunt et spilomata scorbutica vix non semper intermixta habent. Est morbus pauperum illorum, qui pravo victu vescuntur, in aëre nebuloso versantur, atris curis premuntur. Renovatae eruptiones decursum ejus per septimanas lubenter extendunt.

3) *Lichen circumscriptus.* Papulae quoad colorem et Formam a regulari non discrepantes in insulas coire amant, nunc majores, nunc minores, a se invicem bene distinctas et separatas. Sunt insulae, quae per

---

1) *Hoffmann* tom. 4. part. 5. pag. 411.

hebdomadas statum non mutant, dum aliae per novam ad margines eruptionem latius serpant cumque vicinis confluant. Eadem ratione qua margines extenduntur, centrum complanatur pedetentim, crusta quasi tectum laete rubra furfuracea. Antequam crusta, rectius epidermis incrassata decidit, novae iterum propullulant papulae, uti praecedentes in furfures abeundae. Sic exsiccatio et nova eruptio per menses non raro et ultra alternant. In adultis post vaccinationem saepe adparere clarissimus *Bateman* asserit.

Haec varietas Lichenis simplicis prima e reliquis speciebus a *Celso* depicta fuit. »*Medium habet pauxillum levius; tarde serpit; idque vitium maxime rotundum incipit, eaque ratione in orbem procedit*« 1).

Celebratus medicus Parisiensis *Biett*, qui hanc speciem saepius observavit, egregie illam descripsit sub nomine *Lichenis gyrati* 2).

4) Est peculiaris varietas, quam nomine *Lichenis diffusi* distinguimus. Adparet absque febri, absque causa nota, nisi quod in adultis, qui stimulante victu et potu abutuntur, frequentius observatur. Papulae non sunt inflammatae, nisi rubicundam aream excipere velis, nullum fere pruritum causant; a se invicem separatae nunquam majores fiunt, ut cum vicinis confluant, externam brachiorum faciem lubentius quam internam obsidentes maeandrice quasi decurrunt, per totum ordinarie corpus diffunduntur. Qui illo adfecti sunt, bene ceteroquin valent, nec tamen facile liberantur a morbo semper chronice decurrente. Renovatio papularum repetita in more est, terminatio cum ceteris eadem.

5) Magis constantem quam praecedentes species

---

1) De medicina L. V. cap. 28.

2) Maladies de la peau. Paris 1828.

formam et characterem evolutum ostendit *Lichen urticatus* (Nesselartige Schwindflecken), etiam *leproides* dictus. Adparent subito absque ullo prodromo in Cute hinc illinc punctula, cum illis, quae ex pulicum vel cimicum morsu oriuntur, facile confundenda, quae in ambitu quidquam tument, rubent, calent, pruriunt; elevantur pedetentim ea ratione qua phaenomena inflammationis minuuntur. Post triduum evolutae conspiciuntur largae, totum vulgo corpus obsidentes, magis quam in praegressis varietatibus voluminosae, frequenter confluentes. Pruritus noctu imprimis intolerabilis est, omnem fere somnum arcens. Per menses ordinarie decurrentes emaciationem corporis, praecipue in infantibus, qui ab illo nonnunquam statim post partum corripiuntur, relinquunt.

6) *Lichen strophulus* (Zahn-Ausschlag, rothes Auffahren, *Anglis* Red-Gum, Red-Gown.) 1) Varietas infantulos praeprimis sugentes infestans. Praecedunt in genere motus febriles etsi leviores, donec cacoderma vix non semper per totum corpus dissipatum adparuerit, constans papulis, quae nunc *profundius tinctae, nunc cuti concolores* adparent et magnopere pruriunt.

Forma, extensio et color diversis subjiciuntur modificationibus, quarum plures haud raro sub una eademque eruptione observare licet.

Sub hoc respectu, *Papulae, quae rubro tinguntur colore,* mox sunt multum inflammatae, quae notabiliter supra cutem eminent. Per varias corporis partes irregulariter dispersae, frequentius tamen genas, brachia et dorsalem manuum faciem, rarius truncum defoedantes, a se invicem magis distant; non multum nu-

---

1) *Unterwood's* Diseases of Children. Vol. I. p. 79. Edit. 5.

merosae, maculisque vel stigmatibus frequentibus inflammatis remixtae inveniuntur (*Strophulus intertinctus*).

Mox sunt minimae magnitudinis, parum elevatae, sibi propius accedentes, numerosissimae, confluentes. In quarto vel quinto aetatis infantilis mense erumpentes, genas et frontem; ubi autem octavo evolvuntur mense, dorsum manuum, brachia et regionem scapularem obsessas tenent (*Strophulus confertus*).

Alias iterum in diversis corporis partibus in insulas congrediuntur non exiguas sed distincter a se invicem separatas, quae quarta die, incipiente scilicet exfoliatione prunescentem acquirunt colorem, post tres aut quatuor septimanas evanescendae (*Strophulus volaticus*).

Inter papulas cuti concolores aliae occurrunt minores, parum extensae, ad basim halone inflammato circumscriptae (*Strophulus albidus*); aliae iterum multum largiores, crassiores, absque basi inflammata, quae raro alibi sedem figunt ac in femoribus et brachiis (*Strophulus candidus*).

Strophulus a nonnullis auctoribus uti a clarissimo *Bateman* qua proprium consideratur genus.

B) *Lichen agrius.* Secundam hanc lichenis speciem semper prodromi antecedunt febriles, ex consuetis symptomatibus: delassatione spontanea, polydipsia, pulsu et turgore vitali incitato, notabili prae ceteris cutis calore et siccitate facile dignoscendi. His frequenter accedunt nausea, gastrodynia, dolores extremorum profundi. Disparentibus his turbis, id quod tertio plerumque nychthemero accidit, papulae efflorescunt frequentissime in facie, raro in trunco. Plagas formant latas, laete rubentes, qui rubor circa basim inflammatam ad majorem ambitum extenditur. Calor et pruritus aliis quoque speciebus communis hic concomitatur

dolore lancinante, qui sub lecti tepore, sub vehementiori corporis motu, abusu vini vel lotionibus saponatis intolerabilis fit, et sensationem causat, ac si aqua ebulliens corpori superfunderetur. — Quotidiana observatur symptomatum imminutio et exacerbatio; imminuuntur Mane, recrudescunt post pastum. Vesiculae, humore flavicante limpido repletae, papulis hinc-inde, praecipue in regione frontali et temporali intermixtae observantur, quae vero mox iterum sponte disparent. Duratio morbi fluctuat inter tres — quatuor septimanas; in casibus longe frequentioribus saepius disparet iterumque redit. Ubi vero ad finem vergit, epidermis partium adfectarum aspera, crassior, fissa evadit, sub frictione, imo et sub simplici adtactu valdopere dolet. Nisi fors, quod nonnulli observare voluerant, infauste in pustulas taediosissimas abeat, eadem ratione ac reliquae Lichenis species finitur, larga scilicet defurfuratione.

Celsus de illo commemorat, papulam describens sub nomine ἀγρία seu fera: »Difficilius sanescit; nisi sublata est, in impetiginem vertitur« 1).

Paulus et *Oribasius* a simplici majori solummodo vehementia distinguunt 2).

Galenus quoque statuit differentiam Lichenem simplicem inter et ferum, ἁπλοῦς καὶ ἄγριος 3).

Aëtius distinguit Lichenem asperum et inflammatum, τρηχεῖς καὶ φλεγμαίνοντες 4).

Lorry: »In agrio acredo major non solum ex-

---

1) Loc. cit.

2) Paul. Aeg. de re Med. I. cap. 3. Oribas. ad Eunap. I. III. cap. 57.

3) Isagoge cap. 13. — Paul. Aegid. de re Med. L. IV. cap. 3.

4) Tetrab. IV. serm. I. cap. 134.

terna symptomata concitat, sed nares, fauces intimas, tracheam et intestina invadit, ibique coryzam perpetuam, aphthas, deglutiendi et spirandi difficultatem, tussim et tormina rebellia procreat« 1).

Clarissimus *Vogel* Lichenum naturam magis quam formam respiciens, in duos illos subdividit ordines:

1) *Lichenes calcarii*, kalkerdige Mehlflechte, Animalmoose.

2) *Lichenes alcalinosi*, thonerdige Mehlflechte, Animalmoose.

1) *Lichenes calcarii* originem suam desumunt ex elemento aponeurosium et pilorum, phosphate calcis scilicet; dum infracta vis animalis (Animalität) formandis ex hoc elemento membranis aponeurosibus et pilis impar, a vita minerali (Mineralität) superatur ita, ut abundet et praevaleat omnis vitae expers *terra calcaria*.

2) *Lichenes alcalinosi* oriuntur ex materie elementari musculorum, terra scilicet argillacea animali, dum vis animalis ex hoc elemento musculos formans infracta, a vi vegetativa (Vegetalität) superatur, ita ut praevaleat principio vitali exuta *terra argillacea*.

Sub illis, quas modo descripsimus, Formis, quaedam occurrunt Lichenum species, quae quoniam morbos alios sequantur vel cachexiae cujusdam expressionem sistant, *Lichenes secundarii* ab auctoribus nuncupantur. Sunt illorum quidam, quae, dum certis morbis conjungi ament, frequenter in praxi occurrunt; ideoque non absonum videtur, illos sub Lichenis divisione nominatim saltem adducere. Referuntur huc:

I. *Lichenes ex Syphilide.* Sunt papulae parvae ex

---

1) Loc. cit.

flavo rubrae, areae violaceae insidentes, margine distincto circumscriptae. Occurrunt frequentissime in interna et superiore crurum facie, in regione inquinali, scroto, in pudendis mulieribus, in monte veneris et papillis mammarum.

Secundum observationes Dσ. *Galés* et *Poupart* est morbus Parisiis frequentissimus. In infantibus a parentibus infectis generatis, morbus venereus hanc praediligit formam. Oritur ex Syphilide male vel imperfecte curata.

II. *Lichenes ex Arthritide.* In arthritide inveterata non raro numerosissimi adparent lichenes, articulationem manus et genu obsidentes et devastantes 1).

III. *Lichenes senum*, quae absque regula in corpore adparent; horum originem *Vogel* ex abundante calcarea derivat.

IV. *Lichenes ex Febribus et Obstructionibus.* Frequentes observantur casus, ubi in his morbis plerumque, qua signum criticum adparuerint. Sic *Poupart* dicit 2): Qua conamen naturae criticum adparet, qui morbo ex integro suffocando impar, materiam tamen morbum sustinentem, aut ab hoc generatam ex penetralibus organismi ad peripheriam traducit, et sic mor-

---

1) *Vogel* Heilkunst der Flechten S. 223.: »Der Totaleindruck, den diese Form auf das bewaffnete Auge macht, ist einzig. Durch eine Lupe gesehen, erscheint sie als ein unabsehbares Feld octaëdrischer Kalkgebirge. Groteske Bildungen aller Art wechseln mit einander unaufhörlich ab, indem sich die Natur unendlich oft wiederholt, so dass wir gezwungen sind in dieser scheinbar unorganischen Rinde, die Spuren eines ewigen Weltgesetzes zu bewundern.«

2) De Lichene p. 18.

bum internum, universalem, periculosum, in externum, topicum et minus periculosum transmutat. Hinc sententia divi *Hippocratis*: »Qui sub Febri surdus fit, a febri sanatur.« *Lorry* illos observavit in feminis, doloribus in utero de cancro suscepto dirissimis laceratis, in glandularum tumoribus, in hepatis obstructionibus. In febri catarrhosa qua criticum signum adparens, Scabies critica ab auctoribus denominabatur 1). Inter antiquos *Fernelius* Lichenem post Febrim haemitritaeam pestilentialem, qua signum criticum adparuisse narrat.

Morbi ab aliis distinctio.

Variabilis morbi imago et magna non raro cum aliis cacodermatum speciebus similitudo in causa est, ut Lichen frequentissime cum una alterave earum confundatur, quare ad stabiliendam rite Diagnosim multum interest, morbos maxime analogos eorumque differentias quidquam adcuratius examinare.

Lichen simplex rarissime confunditur cum exanthematibus febrilibus *Rubeola* et *Scarlatina*, frequenter tamen cum *Eczemate*, *Prurigine* et *Scabie*.

1) Differt ab *Eczemate* eo: quod *Lichen* papulas formet solidas prurientes, in furfures abeuntes, quae sedem frequenter in externa facie extremitatum figunt; *Eczema* autem vesiculas sistit transparentes, nonnunquam fluido flavicante puriformi repletas, quae magis dolent quam pruriunt, et si vesiculae exsiccantur, in squamas prunescentes, frequentius in crustas abeunt, ex coagulo humoris sub aëris accessu densati. Praediligunt regionem epigastricam et internam extremitatum faciem.

---

1) *Sauvage* Nosol. meth. class. X.

2) *Prurigo* eandem cum *Lichene* agnoscit formam papulosam; in hoc autem papulae magis sunt accuminatae, milii magnitudinem raro superantes, in insulas congregatae; in illo e contra observantur complanatae, majores, aequabiliter potius diffusae quam in insulas distinctae. Praeterea vix non semper numerosissima adsunt frustula minima, nigricantia ex coagulo liquidi serosi et sanguinis, dum papulae per frictionem, ad quam invito animo aegri concitantur, dilaceratae fuerint. Neque Prurigo adeo frequenter renovari solet quam Lichen.

3) *Scabies a Lichene* jam quoad formam pustularem discrepat; quae in Scabie sic dicta papulosa frequentibus quoque constat vesiculis. Pustulae sunt discretae, lichenis vero papulae conglomeratae; scabies nunquam faciem adgreditur, cui non parcit lichen, saepissime artus solum extremos, digitorum inprimis interstitia occupat. Lichen frequentius redit, scabies non, nisi nova in causa sit infectio. Scabies homines ceteroquin ex omni parte sanos infestat, lichen vix non semper est expressio cachexiae universalis; illa est morbus contagiosus, hic non; Sulfur in scabie remedium specificum, in lichene non sufficit per se.

J. Lorry egregie utrumque morbum distinguit: 1mo »A Scabie differt, quod papulae illae vulgo magis confertae sint et elatiores. 2do Quod rubicundae magis et aridae sint. 3tio Quod latiores sint et saepius recidivam patiantur quam vera et legitima Scabies. 4to Quod semper sanatis febribus superveniant. 5to Quod in furfur abeat notabile. 6to Demum, quod remediis sanentur a scabiei curatione alienis.«

Lichen circumscriptus male non raro habetur pro *Herpete circinato* (die ringförmige Flechte, Ring-

wurm, Ringworm). Ast adcuratiorem quidquam observatorem non effugiet vesicularis herpetis forma. Insident autem vesiculae ab initio limpidae, sub decursu fluido lacteo vel flavicante repletae, basi inflammatae, cujus peripheriam obsident et centrum immune relinquunt, dum lichenis papulae in centro maxime elevantur et acuminantur. Herpeti crustae, licheni furfures finem imponunt.

Lichen urticatus quandam agnoscit similitudinem cum *Erythemate papuloso* et *Lichene syphilitico*. Ast erythema, quod in brachiis collo et pectore frequentissime occurrit, plagas format majores quam lichen urticatus, quae laete rubent, vix super cutem eminent, dum ibi papulae notabiliter eleventur; neque tantum causant pruritum quam lichenis haec species. Rubor hic per duas ordinarie septimanas immutatus manet, dein vero disparente paulatim exanthemate in caeruleum vertitur colorem, qui in centro plagae cujusvis primo adparet. Jungitur hoc exanthema vix non semper dolore notabili in articulis, qui in lichene non observatur, pulsumque alteratum, parvum et frequentem ostendit.

Papulae *Lichenis syphilitici* colore tinguntur purpureo, in partibus genitalibus, aut locis illis proximis, dein in fronte, in pinnis narium et mento numerosiores adparentes, quoad formam et magnitudinem summe irregulares. Pruritus deficit, decursus est taediosissimus. In pustulas lubenter abeunt cum ulceratione maligna finiendas. Reliqua tandem symptomata Syphilidom adeo provectam concomitantia, inter quae Iritis frequens memoranda venit, Therapia tandem specifica, diagnosim hujus morbi adeo confirmant, ut differentia inter utrumque sat luculenter evadat.

Lichen agrius formam *Psoriasis* et *Impetiginis*

non raro aemulatur. Psoriasis (die schuppige Flechte) squamas format, faciem, auriculas, dorsalem manuum faciem frequenter, raro alias corporis partes obsidens. Basis quam tegunt squamae, non est inflammata uti in lichene agrio, deficit quoque qui in hoc observatur margo rubicundus, elevatus. Desunt in psoriasi prodromi febriles, desunt furfures copiosi.

Impetigo exclusa a forma lichenis papulari, pustulas format Psydracia dictas, quae si rumpuntur, ex fluido effuso crustas formant; atque hae crustae facile confunduntur cum illis, quae in lichene interdum oriuntur, dum papulae per frictionem laesae et laceratae fuerint. Crustae vero lichenis minus crassae sed molles potius et facile removendae mox decidunt et cutem intactam relinquunt, dummodo non papula novitus orta supervenerit. Impetiginis crustae ex coagulato fluido puriformi imo et ichoroso, multo tenaciores, crassiores, ex flavo viridescentes cuti pertinacitér adhaerent, quam, si post hebdomadas deciderint, rubentem, asperam, friabilem et fissam ostendunt.

En differentias praecipuas, constantes, facilius colligendas, quibus bene perpensis et computatis, morbum de quo nobis sermo est, ab omnibus reliquis, etsi multum analogis, discernere non adeo arduum erit.

Causae morbum provocantes.

Lichen nulli parcit aetati, nulli sexui; ut igitur difficile sit momenta morbi proëgumena rite colligere et adumbrare. —

1) Prae reliquis memoranda nobis videtur dispositio, haereditatis quasi jure a parentibus in proles translata; non rara visa sunt exempla infantum ceteroquin sanorum, quorum cutis, licet sub aliis condi-

tionibus vixerint, iisdem quibus parentes laborabant impetiginibus defoedata fuit. Interim hoc malum non statim post partum, sed certa plerumque et definita vitae periodo evolvitur. Hanc dispositionem eximius *Petr. Frank* magni habuit, dicens: »Atque in hac certe tam obscura naturae lege, *dispositionis illius cutaneae*, qua sine causis manifestis, ac sine humoris morbosi praevii in massa sanguinis contenti auxilio, stato fere tempore impetigines in una eademque familia eaedem in cute efflorescunt, latet impenetrabile hominibus mysterium« 1).

2) Alterum momentum disponens non minus aestumandum sistit *sensibilitas cutis nimia.* Ideo in infantibus ceteroquin sanissimis a sana quoque matre generatis, primis non raro a partu mensibus, numerosa papularum miliarium supra descriptarum copia in corpusculo efflorescunt, quin aliae investigari possint causae nocentes: ideo sub dentitionis opere, ubi irritabilitas et sensibilitas ad majorem evolvuntur potentiam, frequentiorem observamus hujus mali eruptionem. Nec vero humorum acrimonia, uti plurimis placet, hic semper adcusanda erit, quum remedia hanc corrigentia, ex regno dulcium petita minus conducant quam illa, quae nimiam cutis sensibilitatem compescunt, inter quae balnea praeprimis frigida. Inter adultos quoque, sexus sequior et imprimis puellae constitutionis tenerae et gracilis, facilius sub causis etiam levissimis hunc morbum subeunt quam robustae feminae, multo facilius quam mares.

3) Sed non raro *sensibilitas* nervorum corporis periphericorum *infracta* in causa est lichenis suborti;

---

1) De curand. Impetig. L. IV. p. 46.

uti id observare est in iis, quorum epidermis strenuis laboribus, diuturna compressione, cicatrisatione aliisque rationibus similibus crassior et densior facta est. Aliae quoque potentiae sive externae sive internae sensibilitatem cutis deprimentes, ad hoc malum quam maxime disponunt. Huc spectant aër humidus, frigidus, nebulosus; plantae narcoticae stupefacientes (Rhus toxicodendron — Opium), tot remedia, quae dolores sopiunt et spasmos solvunt; eadem ratione huc numeratur latex serosus sub cute adcumulatus, adeps sub pelle collectus, tumor subcutaneus.

4) *Acria* diversa non ultimum inter potentias nocentes sibi vindicant locum, sive vel aliunde ad cutem deferantur, sive ibidem secretionis perversae munere generentur, quae irritando cutem facile ad cacoderma disponunt. Major hincinde lichenis frequentia occurrit in Hystericis, Hypochondriacis, Arthriticis, uno verbo in iis, quorum humores singulares involvunt acrimonias. Omnem sub hoc respectu adtentionem nostram meretur intimum, quod inter cutem et renes obtinet, commercium, quo nempe duo haec organa lege quadam antagonistica suum invicem excipiunt munus tali ratione, ut quo augetur urinae fluxus, eo imminuatur transpiratio cutanea et vice versa. Hinc ubi urina justo parcior fluit, sudores saturi acriores observantur, quae cutem irritant, crispant, sejunguntque a nativis vinculis epidermidem. Patet exinde, cur seniculi, quibus parcissima est lotii secretio, frequentius hoc adfligantur malo; patet, cur aucto urinae fluxu impetigo imminuatur, patet denique diureticorum in lichene virtus.

5) Uberrimum Lichenis scaturiginem *vitia diaetetica* largiuntur, victus prae ceteris et potus pravus. Licet enim digestionis ope, quae homines pro nutri-

mento seligunt, assimilentur, sunt tamen substantiae, quae vi adsimilanti nequaquam cedentes sed naturam potius alienam retinentes, organa, quibus advehuntur, ideo et cutem stimulo fortiori lacessunt, irritant, secretiones pervertunt sicque morbi radicem figunt. Frequenter igitur lichene infestantur, qui liquoribus spirituosis abutuntur, cibis muriaticis sale et fumo induratis, vel piscibus acribus salitis delectantur et piperatis; pauperes, qui nutrimentis ex farina suspecta aut inquinata compositis vescuntur, qui solum fere allium, cepas, rapas, caseum vetustum acerrimum, carnes comedunt putrescentes.

6) In casibus longe frequentioribus Licheni efflorescenti subest *Plethora* tam universalis quam potissimum *cutanea*. Hinc in hominibus succi plenis, imprimis si dispositio ad plethoram aliis adminiculis uti vestimentis calidioribus, lecti tepore, victu largo et lauto, potu vinoso aut aromatico fovetur et exaltatur, derepente et inopinate propullulat lichen; hinc in puellis lubenter adparet, quarum menstrua parca fluunt aut supprimuntur, aeque in haemorrhoidariis silente haemorrhoidum fluxu. Ideo lichenis pruritus sub lecti tepore exacerbatur, eruptio per calefacientia promovetur potius quam praecavetur. Sensationes ipsae ingratae lichenes praecedentes vel concomitantes, calor, ardor, pruritus; sanguinis, laticis serosi et lymphatici sub pelle adcumulationem, plethoram eorum veram vel spuriam vel difficilem per vasa cutis significant progressum.

7) *Transpiratio cutanea impedita* inter potentias nocentes non ultimum tenet locum. Dum enim illa, quae per cutem exhalanda forent, jam aliena a natura sub epidermide accumulantur, stagnant, corrumpuntur; stimulo fortiori cutem ipsam irritare et tali pacto mor-

bum provocare necessario debent. Quaecunque igitur transpirationem cutaneam supprimunt, in provocando lichene symbolam suam conferunt. Mundities neglecta, frigus corpori sudanti admissum, pigmenta quibus insanae feminae faciem et collum obtegunt, olea quibus corpus perfundere consuescunt homines, qua praecipua sub hoc respectu nobis memoranda videntur. Verum quidem est, integras gentes corpus illinire oleo, a quo non solum damnum nullum verum et contra alios morbos tutelam exspectant, sed eo frequentior est illis balneorum usus, qui nec a nostris ruricolis munditiem corporis non anxie curantibus, haud penitus negligitur. »*Nec vel spurcissimus aut undas semper fugit populus, aut, quo natura vel pennigerum cogit descendere vulgus, flumina abhorret. Hinc summa in ordinandis balneis ac thermis tum rituum sacrorum, tum legislatorum ubique cura fuit posita*« 1).

Quod ratione suadetur, experientia confirmatur. Nullibi lichenes frequentius occurrunt quam apud pauperes munditiem corporis negligentes, in inpuris habitaculis degentes. Magna quoque exinde explicatur remediorum Diaphoreticorum in Lichene sanando virtus.

Inter stimulos vitae cutaneae non raro inimicos morbumque de quo agimus frequentissime provocantes *calor externus* adhuc numerandus venit. Frequentem observamus Lichenem in hominibus, qui influxui flammae vel carbonum ascensorum igni diutius expositi sunt, in culinariis, ferrariis.

Majorem adhuc potentiam *solis actio* in corpus humanum exserit, id quod Lichen vere ordinarie ef-

---

1) *P. Frank*, loc. cit.

florescens eodemque tempore per annos non raro rediens sat luculenter demonstrat (inde nomen Frühlingsausschlag). »Vere emergunt potius quam aliis temporibus: quoniam cum ver sit saluberrimus, hoc ipso tempore profundum corporis expurgatur, vitiosis humoribus a partibus principalibus ad cutem pervenientibus« 1).

Est deinde peculiaris Lichenis species, *lichen tropicus* (Stechende Hitz, Prikly - heat) a *Roberto Willan* 2) classico calamo depictus, morbus in regionibus tropicis endemice grassans, quo Europaei ardenti sideri insueti et ibidem degentes, vix non omnes repetitis vicibus adgrediuntur.

Ast ratio, qua sol actionem in corpus humanum exercet, admodum incerta neque effectus quos producit satis adhuc explicati sunt. Majorem vero quam cutis ipsa adtentionem meretur *secretio cutanea*, quae a calore *incitata* morbosam quamdam mutationem subit. Incitatur secretio, nam sub aucto calore sudore fere diffluunt homines, qui cutem inundans, macerans fere, tenorem illius imminuit, sensilitatem auget.

Mutatam morbose secretionem, foetor ille intolerabilis, quem hominum nonnullorum sudores aestivo tempore spargunt designare videtur, qui non ex sanguine corrupto in hominibus sanissimis ceteroquin non admittendo, quam potius ex aucta et permutata folliculorum cutaneorum et vasorum exhalantium ratione derivandus erit. Ipse jam sudor copia excedens, morbus est, qui, dum per extrema ostiola expelli totus non potest, inter cuticulam ac rete mucosum vel

1) *Galen.* comment. 3. aph. 20.

2) De morb. cut. l. c.

in textum cellulosum effunditur, ibique stagnans et acredinem majorem nactus, irritando pruritum, papulas producit.

Causa morbi proxima.

Causa lichenis proxima varia a diversis auctoribus adducta, neque vero adhuc satis explicata esse videtur. Humoralistae illam in singulari humorum acredine quaesiverunt, et nunc in serum nunc in lympham vel bilem culpam imposuerunt. Uti *Galeno* placet, ex mixto quopiam generantur humore, serosis nimirum ac tenuibus et acribus succis permixtis 1). Neque desunt inter recentiores, qui eandem defendunt opinionem. Inter illos *Ludwig*: »Lympha salsa et depravata nec non serum acre ad cutem propulsum cum per ostiola exhalantia expelli nequeat, retinetur et erosiones efficit, quae non tantum cutis superficiem foedam reddunt, sed et ad fontes unguinis cutanei, imo ad ipsam pinguedinem saepe penetrat, quo facto depravati humores foventur, augentur et evolvuntur, atque ita sedes morbi in cute magis magisque figitur.«

Alias *Trempel*: »Sunt, qui proprium acre adsumunt, ex quo Lichenes oriuntur« 2).

Dr. Ludov. Vogel 3) ortum lichenis explicat ex nimia cutis fragilitate et nata inde in epidermide continui laesione partiali. Fragilitatem autem ex defectu glutinis et abundantia calcariae et argillae derivat: »So wie auf dem Thonerdigen des Erdballs eine Art Mine-

1) Lib. 5. cap. 5.
2) Medic. chirurg. Beobacht. T. II. p. 164.
3) Loc. cit.

ralpflanzengewächse, die *Moose*, entstehen können, so kann das auch auf dem Thonerdigen des Thieralls entstehen; so können dergleichen animalmineralische Pflanzengewächse, welche man die *Animalmoose* nennen kann, auch in diesem entstehen.«

Alii, inter quos *Richter* 1), reproductionem cutis a norma aberrantem, statuunt; unde nunc miscela chemico-vitalis depravatur, nunc organisatio illius mutatur, vel vero et organisatio et miscela patitur.

Longe plurimi inflammationem cutis specificam pro causa proxima agnoscunt. Sic *Tilesius* inflammationem, ex qua Lichenes oriuntur, concentratam adpellat, quoniam materia, quae cutem ad inflammationem irritat, in unum punctum concentratur, quod praecedente dolore illico rubescit et elevatur.

Haase 2) Inflammationem statuit characteris reproductivo-lymphatici, cui *Synochi* nomen impertitur. Ex hoc unico fonte ortum omnis morbi cutanei derivat, formam sub qua adparent diversam, pro diverso mali communis primarii exitu declarans.

Terminationes.

Morbus rite tractatus in salutem pristinam terminatur; ubi vero inepte curatur aut praecocius subprimitur, morbos metastaticos causat non raro discrimine plenos, imo mortem ipsam parantes. Qui magnum quod inter cutem externam et membranam mucosam internam obtinet commercium quidquam adcuratius perpenderit; qui legem qua secretio cutanea et urina-

1) Specielle Therapie B. 6, p. 15.

2) Chronische Krankheiten B. III. p. 152.

rum excretio se invicem antagonistico modo quasi substituunt oblitus non fuerit, neque de metastasibus ex suppressione lichenis incauta facile oriundis dubitabit. Et vere experientia non rara ostendit exempla mali hujus praecocius suppressi et internam organorum structuram devastantis. — Per metastasim autem frequentissime adgrediuntur membrana mucosae urethrae et vaginae, pulmones et hepar.

I) Blennorrhoea ex metastasi, quae in feminis sub fluoris albi imagine adparet, a Gallorum praeprimis medicis observata, teste *Weinhold* adeo pertinax esse solet, ut non raro per decennium omnes medici conatus eludat. Transpiratio cutis suppressa, cacoderma evanescens, horrores percutientes sunt ordinarii prodromi. Clariss. *Weinhold* ex observationibus in nosodochio Parisiensi *St. Louis* institutis, sequentia circiter deducit corollaria:

1) Lichene praecocius sanato aut potius exsiccato, exoritur Blennorrhoea chronica vix sananda.

2) Sanatio non contingit nisi revocato iterum Lichene.

3) Antequam blennorrhoea adparet, urina per octiduum circiter sedimento gravatur odore specifico notato.

4) Dum contigerit blennorrhoeam injectionibus adstringentibus, cantharidum usu, electricitate, secunda vice supprimere, urina limpida reddita est; absoluta vero septimana, praecedente pruritu ingrato nova effloruit Lichenis eruptio.

II) Magna inter cutem externam et pulmones jam quoad munus inspirationis et exspirationis adfinitas in subpresso lichene luculenter adparet. Ubi nempe materia lichenem fovens stagnat aut supprimitur, a vasis resorbentibus suscepta, sanguinis circuitui denuo tra-

ditur, ita ut tandem ad pulmones delata, horum texturam et structuram destruat. Hinc frequentissimus morbus, qui Lichenes suppressas excipit, est Phthisis pulmonalis; neque desunt exempla suborti Asthmatis et Hydrothoracis 1).

III) Simili fere ratione inflammatio, obstructio 2), induratio et suppuratio Hepatis et Lienis lichenem retropulsum sequuta exsplicantur, et experientia confirmantur. Ortum febris intermittentis *Poupart* sequenti fere modo explicat: Febris erit intermittens, dum materia peccans per vasa sanguifera saepius agitata in loco tandem a circulationis centro remoto deponitur. Hic restat usque dum majorem acquisiverit acrimoniam et vim stimulantem, qua vasa denuo irritat, et ab illis suscepta in circulationis massam profertur, novum ibidem Paroxysmum incendens 3). Neque desunt casus metastaticae Dysenteriae, colicae 4) vomitus, surditatis dum membranam tympani vel meatum auditorium externum aut internum adgrediuntur 5).

IV) Non minor est organorum uropoëticorum cum cute nexus, neque minor morborum numerus, qui renes et internam vesicae urinalis faciem post Lichenem suppressum devastant. Frequentius id evadit dum lichen retropellitur, qui vaginam, scrotum, pe-

---

1) Journal de Medecine 1770. Tom. 32. pag. 225.

2) *Lorry*: „Imo forsan a neglectis hisce malis pars non minima obscurarum illarum obstructionum pendet, quae nobis in adulteriori vita tantum facessunt negotii.“ Pars I. Sect. I. p. 247.

3) p. 81.

4) *Deidier* Tom. 3. p. 80.

5) *Panarole* Obs. 43. — *Dominicus Raymond* traité des maladies qui' il est dangereux de guerir.

ritonaeum obsidebat. Urina, antequam morbus adparet, fit turbida cum sedimento albicante et floscis furfuribus cutis non dissimilibus.

Neque datur docente *Tissot* ulla nervorum turba, quae per hunc morbum retropulsum provocari, non possit.

Non vero statim suppressos lichenes determinata excipit morbi imago, imo lento et justo frequentius neglecto modo homines debiliores evadunt, donec lenta et tabifica pereant febri, quam secundum egregium observatorem *Vogel* paucis verbis adumbrabo.

Febricula ab initio oritur levis et facile negligenda. Quin abhorreant a cibis minus avide illos appetunt, quos et bene digerunt, nisi quod post pastum ructibus frequentioribus molestentur. Somnus licet non denegatur, non restaurat sed delassati evigilant. Peculiaris observatur dysphoria et animi imbecillitas. Secretio urinarum est normalis, sanguis e vena missus crusta tegitur virido-prunescente. In feminis non raro sub eo tempore materia morbosa sub forma fluoris albi e corporis penetralibus eliminatur, sed nunquam fere qua crisis salutifera.

In II. Periodo emaciatio non facile praetervidenda. Peculiaris adest animi mobilitas et in pathemata proclivitas. Abdomen siccum, collapsum, regio hypochondriaca sinistra tangitur dura et regio mesogastrica leviter dolens. Femora intumescunt, evolvitur febris validior. Urina albicans cum sedimento levi farinaceo onusta. Sub finem hujus stadii tussicula ordinarie excitatur post pastum exasperata, sicca, respirii difficultas cum motu suffocationis. Cutis farinacea separatur qua prodromus destructionis illius, ex quo signo fallaci non raro faustam valetudinis recuperandae spem captant.

In III. Periodo morbus non amplius arte superandus. Crescente in dies Febri consumuntur vires, et pereunt miseri tandem ex Tabe vel Hydrope.

Quaecunque autem lichenem suppressum suscipiant mala 2daria, autumno ad finem vergente et hyeme frequentissime, vere et aestate vix unquam adparent.

Prognosis.

Causarum hunc morbum producentium diversitas, aegri aetas et conditio, temporis quo cutis laborat longitudo, mali cum aliis complicatio tot sistunt momenta, quae ad statuendam Prognosim symbolam suam conferunt. Lichen per se nunquam morbum sistit gravem vel periculo plenum, sed propter inopinatas et frequentes recidivas summe taediosum. *Lichen simplex*, qui potius a cutis natura pendet quam ab interna humorum depravatione, vix ultra tres protrahitur septimanas. — Ante pubertatis tempora emergentes lichenes, cum nondum glandulae omnes evolvi se sivere, ea peracta evolutione sanantur omnino et nitidae cuti suus redit decor, licet hic nihil addiderit sui medicina 1).

Qui aliquid inflammatorii prae se fert uti *agrius* pertinacius quoque sanationi resistit, retropulsus in interiora viscera deponi, secretiones vitiare, obstructiones parare, phlogoses obscuras tarde et occulta ratione grassantes inducere, sicque aut abscessibus occultis locum dare poterit, aut scirrho aut hydropi. Nunquam vero uti credunt in herpetem transit 2). Lichenes senum impune non tolluntur.

---

1) *Lorry* loc. cit.

2) *P. Frank* l. c. „Ex acri veneno degenerante herpeticum

Sub lichene inveterato cutis functio supprimitur, exhalatio praeprimis penitus ferme cessat; cutis exsiccatur, rigescit, induratur, rugas format profundas, numerosas praecipue ad articulationes. Imo neglectus morbus corporis emaciationem et tabem ipsam producere valet.

Ubi Lichen complicationem morbi universalis sistit, aut expressionem cachexiae alicujus, medicus in praesagiendo exitu hujus complicationis habet rationem. Restat tunc plerumque, aut evanescens pro tempore mox iterum redit, quousque morbus primarius perdurat. Resecta radice mali primarii, sponte evanescit.

Therapia.

Morbi curam adgredientes, omnium I^mo. ex qua origine fluat inquirendum erit, — deinde vero, num primaria vel secundaria, num recens vel antiqua impetiginis sit indoles, num per se aut cum alio morbo universali incedat, ratio habeatur necesse est. —

Quodsi in hominibus perfecta in caeteris salute fruentibus ab *externo* quodam *stimulo*, uti immunditie, substantia acri cutem sensilem irritante, calore nimis intenso, morbus derivetur, maxima quoque curae pars in externis versabitur remediis, quae pro varia morbi indole et origine, nunc humectando et emolliendo in cutem agunt, nunc vero exsiccant, stupefaciunt, excitant, roborant. Salutiferae frictiones cum saliva hominis jejuni jam ab antiquis laudatae sunt 1),

---

oriri, non minus, quam pomorum e semine prunos exspectare, absurdum videtur."

1) Avicenna: Canon II. „Saliva hominis jejunii scorpionem interficit."

quibus virtute vix cedunt balnea simplicia, aquosa, vel et ipse vapor animalis recenter mactati, cui ut balneo partem lichene adfectam committimus.

Sub molesto tensionis et rosionis sensu, mucilaginosa et emollientia, inter quae: oleum lini, cremor lactis pro inunctione, decocta Furfur. tritici pro lotione cutis, balneum tepidum lacte remixtum, lubenter adhibemus, non solum symptomatum turbas sedant, verum et morbum ipsum jam dissiparunt.

Magna ab omni aevi medicis laudabatur *Sulfuris* virtus in morbis cutaneis 1), in quibus processus quidam morbosus extinguendus est; cujus usum externum et hodierno tempore in Lichene pertinaciori cum cutis languore incedente, multum celebrant dum in unguentum aut balsamum redigitur, aut in vaporem extensum ad suffumigationes adhibetur. Magis quam Sulfur ipsum in Lichene thermae commendantur sulfureae, quibus deficientibus Hepar sulfuris kalinum substituimus, balneo integro unciam unam addendo.

Rp. Hepat. Sulf. kalini *unc. dimid:*
Solve in
Aq. font. *Libra una.*
DS. Pro lotione ad Vesperas.

---

1) Serapion, unguento ex nitro et Sulfure cum resina utebatur.

Unguentum Person'i contra lichenem agrium laudati:
Rp. Emplastr. plumbi *unc. duas*
Cerae flavae *unc. dimid.*
Olei amygdl. dulc. *unc. unam et semis.*
Emplastro cum cera liquefacto adde oleum, dein agita mixtum, donec penitus refrixerit (vide *Bateman* loc. cit.)

Frequens fuit 1) et est *Plumbi* externa adplicatio in illis casibus, ubi turgor, calor, et sensilitas praevalent. Sit tamen cautus Saturni usus, neque adhibeatur, ubi inflammatio intensior et febris adsunt vestigia, neque in Lichene, qui est symptoma morbi alius. Usus vero ne per tempus justo longius protrahatur. Adhibentur emplastra frequenter, cum aliis remediis ad variam rationem composita; ita et unguentum Saturni flavum et album.

In lichene magis rebelli, qui mitioribus non cedit medicamentis, ad *Mercurialia* non raro confugiunt medici, a quorum et usu externo, in illis praeprimis casibus, ubi malo cum morbo venereo adfinitas est, medelam sibi expectant. Seliguntur ex Hydrargyri praeparatis sales, quas vel in unguenti vel in Solutionis forma praescribunt. Usae in nostra schola Formulae sunt:

Aqua cosmetica.

Rp. Mercur. sublimat. corros. *gr. unum*
Solve in
Aq. comm. dest. *unc. sex*
adde
Sacchari Saturni *dr. semis*
Lactis sulfur. *dr. unam*
DSg. Bis die lavetur pars adfecta.

---

1) *Amatus* cur. 29. centur. 29.: Monachulus Divi Dominici, natus annos 12, impetiginem lichenem dictam indicem digitum ad os usque exedentem habebat, cui nostro consilio, quum unguentum de plumbo optime concinnatum supra imponeret, intra 15 dies sanus factus est.

Unguentum *Werlhofii.*

Rp. Merc. praecip. albi *dr. unam.*
Ungti. simpl. *unc. unam*
M. in unguent.
DSg. Vesp. ad magnitud. nucis avel. inungd.

Sed et aliorum salium usus non raro salutiferus evadit. Imprimis muria, quae ad parandam sodam muriaticam adhibetur, in pluribus Germaniae provinciis in usum trahitur medicum. Salibus enim quibus instruitur muriaticis et sulfuricis 1) corpus humanum, inprimis vero cutem proprio stimulo adgreditur, quo motus vitales excitat, vitae in cute robur addit, stagnantium resolutionem promovet, resorptionem incitat, secretionis cohibitae munus expedit. Thermae muriaticae, quas Austria *Gmundae*, *Iscalae* et in oppido Salisburgensi *Hallein* possidet, nemini non sunt notae. Parant ibi balnea ea ratione, ut muria cum triplo, duplo et tandem aequali pondere aquae communis, aut etiam sulfureae, quam fons Iscalae vicinus emittit, commixta et ad debitum gradum calefacta aegros excipiat.

Eadem ratione in corpus humanum agit aqua marina, magna muriae copia onusta, quae contra eundum morbum in balneis mox frigidis mox calidis in auxilium frequenter vocatur.

Huc et referenda veniunt acida diluta ex regno vegetabili et minerali petita effectu tonico-antiphlogistico non raro salubria. Praediligitur ex iis praecipue in Lichene scorbutico acidum nitricum et muriaticum, nobis sequenti formula usitatum:

---

1) *Hartmann* Pharmacologia dyn. Tom. I. p. 314.

Rp. Acidi muriat. dil.
— nitrici — aa *dr. unam*
Aq. fontis *Lib. unam.*
MDs. Pro lotione. Augetur ad *dr. duas.*

Rarissimus est *Solventium causticorum*, in Lichene usus, quae nonnisi ad illos reservantur casus, ubi morbus maligne formam mutaverit et ulcera formaverit, quae mitioribus remediis non cedunt. Caveat medicus, ne in *symptomatica* vel jam in *consuetudinem* deducta impetigine, medicinam hanc vehementem porrigat, quae nonnisi vitio cutis locali sanationem promovebit. Adhibetur tali in casu lubenter alumen ustum, aut solum aut cum stimulante volatili junctum, uti:

Rp. Aluminis usti *dr. duas.*
Camphor. spirit. vini irroratae *gr. decem.*
Mf. pulv.
DSg. Pro inspersione.

Eundem in scopum adhibent medici vitriolum album, Saccharum saturni; nec defuere, qui neque a veneni dirissimi, Arsenici scilicet, usu abhorruerint, quod in forma suffimenti adplicarunt.

Illa ipsa interdum, quae fortiori cutem stimulo exasperant, alienum in eadem motum excitare, et morbosam secretionem invertere, corrigere valebunt. Ubicumque autem in auxilium vocantur cauta manu, in minori plaga, per breve solummodo tempus adhibeantur. Hinc Cantharidum parti a Lichene antiquo defoedatae usus, non raro salutiferus fuit. Illorum tamen adplicatio monente *Ackermann* 1) Lichenis superficialibus, magis convenit. Qui profundius serpunt feli-

---

1) *Ackermann* Magazin für Aerzte. 8. B. S. 161.

cius debellantur Spiritu Bellosti (Pharm. Boruss.) sequenti ratione compositi.

Rp. Merc. praecip. rubri *unc. unam*
Acidi nitrici q. s.
ad perfectam solutionem, adde
Aq. dest. q. s. ut tota massa fit
unc. octo.
D. U. Pro illiniendis partibus Lichene adfectis
praescribitur *unc. semis — unc. integram.*

Non desunt casus, in quibus ex vera sanguinis plethora Lichenes ortum ducunt, praeprimis ubi evacuationes sanguineae naturales aut quibus homo diutius adsuetus fuit, supprimuntur. Ita silentibus menstruis et Haemorrhoidibus frequenter Lichenes observare est. In illis casibus, nec non, ubi cutis irritatae pruritus aut dolor et rubor ex congestione cutanea oriundus valdopere molestant, sanguinis per *hirudines, scarificationes vel curcurbitas cruentas* evacuatio levamen et auxilium fert. Rarior est Venaesectionis usus, in illos nonnisi reservandus casus, ubi ante eruptionem magna et vehemens incenditur febris.

Therapiae hujus sanguinolentae usum licet hic ab omnibus fere hodierni aevi pathologis, relinquatur, non tamen ubique praetervidendum esse, summi et expertissimi in hac re viri, *Hufeland* 1), *Petr. Frank* 2), *Jos. Frank* 3), *G. Haase* 4) abunde testantur.

---

1) System d. pract. Heilkunde. B. II. 2. Abtheil. Jena 1805, S. 62.

2) De curandis hom. morb. Epitome Lib. IV. p. 68.

3) Praxeos medicae universae Praecepta Part. I. Vol. II. Lips. 1815. p. 58.

4) Ueber die Erkenntniss und Cur der chronischen Krankheiten des menschl. Organism. B. III. p. 178.

Quem natura pro eliminanda materia morbosa in certa corporis parte sibi elegit locum, hunc artis ope ad aliam regionem transferre, non tam facile contingit, ita ut *ulcerum artificialium*, *setaceorum fonticulorum* in Lichenibus theoria, et humoris secreti ad aliam partem derivatio vana videatur. Imo, nova haec excretio in rarioribus nonnisi casibus conferre videtur, ubi abundantes forte humores, eliminat, in longe plurimis vero nocere, praesentem scilicet machinae debilitatem augens, irritationem partibus vicinis infensam communicans, aut resorpto has ad oras corrupto liquore, humores internos corrumpens. Attamen summam ulcerum artificialium in Lichenibus virtutem, experientia non paucos apud homines, conspicuam quotidie reddit. Atque haec tum in *symptomatico Lichene*, — priusquam morbi fomes extingui valeat, — promptum non raro adferunt auxilium; tum in *primario quidem sed inveterato*, in parte quadam vicina et antequam morbosa in cute secretio supprimatur excitata, ad potiora securitatis majoris et desideratae sanationis momenta referenda sunt. Novo autem hoc fonte ad cutem aperto, non illico impetuosa mali antiqui curatio erit suscipienda, aut naturalium excretionum negligenda sunt subsidia; sed fluxu ulceris jam satis confirmato et per longius tempus continuato, et abactis in quantum hoc licet morbi causis, Lichenis quoque cura adgrediendа erit, a remediis mitioribus ordiendo, et lento passu ad fortiora ascendendo.

Recentiori aevo Graphites 1) in externum quoque usum vocatur, quem clariss. *Weinhold* vel in un-

---

1) *R. A. Weinhold.* Der Graphit, als neu entdecktes Heilmittel gegen die Flechten. Leipz. 1808. 8.

guento adhibet, ex sex partibus Graphites et decem axungiae porci composito; vel, ubi major adest cutis sensilitas duas illius partes cum octo emplastri saponis in emplastrum extendit morbosae cuti imponendum; cujus usum salutarem et aliae docent observationes medicae 1).

Simili ratione Carbo Lignorum adhibetur in inveterato et pertinaci Lichene, cujus laudes *Thomann* praecipue 2) et *Hunold* 3) annunciant. Forma quam seligunt est unguentum, quod subsequo die aqua saponata abluunt.

Ubi major cutis languor et torpor adcusatur, in individuis frigidis, atonicis, phlegmaticis, ad coronidem curae et in reconvalescentia ipsa, Vegetabilia adstringentia, qua lotiones vel balnea adhibita magnam sibi laudem compararunt. Huc pertinent Decocta Rad. Tormentillae, Bistort. Ratanhiae Cort. Ulmi campestr. Querc. Salicis etc. etc. Eadem ratione Succus Catechu et Gummi Kino in Forma unguenti.

Quantum vero remedia haecce externa emolumenti ferunt, dum justo tempore, et ratione seliguntur, tantum nocebunt, perversa ratione et ordine adhibita. Juvabit igitur, quae sub usu eorum notanda veniunt, paucis saltem verbis repetere.

Triplex autem sub hoc respectu momentum notandum venit, quoad morbum, remedia ipsa eorumque adplicationem, et quoad copulam curae externae cum interna.

---

1) *Heim* in *Horn's* neuem Archiv. B. XII. S. 227 und Salzburg. medic. chirurg. Zeit. Jahrg. 1815, Nr. 69. S. 268.

2) Annal. der klinisch. Anstalt zu Würzburg J. 1801. Mon. Januar.

3) In *Schaub's* Archiv f. d. Pharmacie. B. II. St. I. S. I. u. ff.

1) Quod morbum adtinet, ille solummodo Lichen remediis externis adgrediendus erit, qui prima simplicem et vere topicam cutis sistit adfectionem, aut si secundarie incidit, radice jam penitus dissecta et omni complicatione jam prius soluta. Magnum enim et vix reparabile damnum feret medicina externa, dummodo morbus cutaneus, qua crisis adpareat vel cum alio conjunctus incedat, neque unquam satis timenda sunt illa mala, quae a praecocius subpresso Lichene jam prius derivavimus.

2) Non minoris dignitatis justus medicamentorum selectus est, et ordo quo adplicantur, ut nunquam igitur praetervideatur regula, qua a mitioribus ordimur, ad fortiora lento gradu ascendentes. Ubi ergo in prima morbi periodo inflammationis aut irritationis signa eminent, sanguinem evacuantia adhibeantur, copulando illa cum Emollientibus, mucilaginosis, oleosis. Absoluto hocce stadio ad illa transgrediatur, quae critica cutis conamina adjuvant, secretionem perversam corrigunt, uti: Sulfur et Sulfureta, Graphites, carbo, Decocta lignosa. Ultimum locum teneant, et ad morbum inveteratum, cum atonia, et laxitate cutis incedentem reserventur remedia, stimulantia, Revellentia, uti: Solventia caustica, fortiora Hydrargyri praeparata, ulcera artificialia.

3) Summi autem momenti est justa remediorum externorum cum internis copula, qua morbus facilius, citius tutiusque sanabitur, et omne periculum, quod subpressus, sed non radiciter sublatus minatur, eo certius praecavetur.

Ut autem recta et opportuna seligantur remedia interna, ad omnia quae morbum excitant et sustinent momenta, medicus rite adtendat necesse est. Primo igitur, quae morbum generat causa aut amovenda au'

nocivi ejusdem influxus in quantum licet arcendi, et deinde morbus ipse quoad naturam debellandus erit.

Qui post Febres intermittentes, catarrhales, menstruorum et haemorrhoidum fluxum retentum, qua signum criticum adparent, a remediis imprimis externis intactos relinquamus, ne beneficum naturae munus confundatur et Lichen, id quod facile accidit, in aegri perniciem retropellatur. Hujus rationem jam antiqui tenuere medici. *Gisbertus Horstius* insignis medicus Romanus, ait juxta 20. aphor. Hip. l. 1.: »Qui qua signum criticum adparent Lichenes incuratos sinamus.«

Quod causas adtinet variae, imo e diametro nonnunquam sibi oppositae indicationes variam quoque dictabunt Therapiam; mox enim excedens cutis sensilitas placanda, mox imminuta erigenda erit; alias sordes in primis viis accumulatae evacuandae, alias obstructiones solvendae, et urinarum secretiones promovendae erunt, est etiam, ubi cura specifica necessaria, evadit uti in Lichene ex syphilide oriundo; ita, ut eadem sit medicaminum ac causarum varietas et multitudo.

Quamdiu morbi, de quo nobis sermo est, natura non clarius elucescat, quamdiu causa proxima illis quibus nunc obnubilatur tenebris tecta maneat, nec de Therapia rationali sermo esse potest. Rite vero quae ad Diagnosim statuendam necessaria concurrunt perpensis, sequentes fluunt indicationes: Plethoram lymphaticam imminuere; qualitatem lymphae minus spissae et in coagulum pronae corrigere; secretiones omnes expedire; cutis inprimis functionem restituere. Quae hic indicationibus correspondent remedia, praeter illa quae externis adnumeravimus, ab omnis aevi medicis salutifera in Lichene inveniebantur, talique ratione Indicationum nostrarum a priori difficulter

eruendarum rationem et valorem per experientiam confirmant.

Primae igitur indicationi satisfit Evacuantibus. Rarissimi sunt casus, ubi cruditates gastricas in ventriculo contentas per vomitoria expellere necessarium evadit, ast eo magis desideratur intestinorum purgatio, qua pituita adcumulata eliminatur, et subsequis medicamentis agendi virtus eo liberior conceditur. Neque unquam medici usum catharticorum in Lichene neglexerunt, qui jam a veteribus ordinatus fuit. Sic *Galenus* 1) jubet externe smegmata adhibere, intus medicamina pituitam evacuantia. *Petrus Forestus Alcmarianus* 2): Corpore igitur toto evacuato, simplicia ipsis conferent. *Carolus Lorry* 3): »Praeterea vero usum diluentium per plurium dierum intervalla repetitum, moris est catharticis actuosioribus interrumpere, quibus partes a medicamentis illis intra sanguinem admissae, vacuentur, novumque locum novis succedentibus partibus praestent.«

Pro varia ratione morbi et aegri constitutione, aetate, sexu, tolerantia, nunc Eccoprotica in auxilium vocantur, nunc Purgantia refrigerantia efficaciora nunc ipsa calefacientia. Generatim in exordium curae alvum aliquoties movemus, id quod optime fit ope Aq. laxat. DV. Sub ulteriori morbi decursu, plexam non est medici alvum servare, sed illius solummodo excretionem facilitare, cui scopo adtingendo nunc haec nunc illa seligit, cumque aliis copulat. Ita in Lichene livido ubi scorbutica diathesis delitescit, Manna, Tamarindi, Pruna et alia, quae muco-saccharo acidum socium ha-

---

1) Loc. cit.

2) Lib. II. p. 67.

3) Tractatus de morbis cutaneis, Parisiis 1777. p. 242.

bent, optime indicantur, dum iis, qui acido primarum viarum laborant, Magnesia carbonica melius conducet. Ubi praeter alvi excretionem urinae quoque secretionem promovere cupimus, lubentius seligimus Tartratem lixivae acidulum; quibus alvus segnior est, illis Sales sulfurici: Sulfas Sodae, lixivae et Magnesiae propinandi erunt; infantibus e contra Electuarium lenitivum vel Hydromel cochleatim sumendum praescribimus.

Alteram Indicationem, quae pravam lymphae qualitatem corrigere jubet, vastus remediorum Solventium numerus explet. Remedia enim solventia organa vitae plasticae inservientia: membranas mucosas et serosas, vasa lymphatica, venas organa secernentia et excernentia, et quibus haec omnia praesunt functiones proprio stimulo vellicant, et gravia vitae plasticae opera: digestionem, adsimilationem, nutritionem, secretionem, excretionem ita constituunt, ut quae inde emergunt materiae, minus plasticae, sed fluidiores potius adpareant. Hinc chylum spissiorem adtenuant, sanguinem densum diluunt, lympham in coagulum pronam fluidiorem reddunt, natas inde obstructiones reserant, secretiones et excretiones cohibitas promovent. — Methodum solventem jam canae antiquitatis medici encomiis extollunt. Ipse divus *Hippocrates* 1), *Hugenius* 2), *Dioscorides*, *Celsus* usum Lactis asinini in Lichenibus collaudant. Illis ipsis et subsequi aevi medicis *Paulo* 3), *Foresto Alcamariano*, *Aretaeo*, *Avicennae* vix non omnes plantae Solventes praeprimis saccharo efficaces, notae fuere; praeter has multa alia illis in usu erant

---

1) Lib. IX. De internis adfection.
2) Epist. et Consult. Med. T. II. Lib. I.
3) Lib. IV. cap. 3.

e regno animali petita eademque virtute instructa: Vipera, lacerta viridis, erinaceus sexatilis, crocodili terrestris stercus. Eadem mente clariss. *Lorry* et *Geoffroy* 1): »in Lichenibus medicinam Solventem, diluentem jubet; humorum acredinem et natam inde solidorum ariditatem diluentibus et demulcentibus delinire.«

Nos huc inter Solventia mitissima omnium primo numeramus, saccharo scilicet efficacia, sive sint e regno vegetabili petita, uti Fructus et Radices dulces inter quas praec. Rad. Gramin. Polypod. Liquirit. dein Malthum, quod in Lichene livido lubenter datur c. aceto vini optimi copulatum, sive e regno animali, uti Mel, Serum lactis, quod vel solum bibitur vel lubenter c. aqua Selterana junctum. Haec tamen remedia nisi cum aliis efficacioribus jungantur vix unquam, nisi mitissimo Licheni sanando sufficient; Magis quidquam praestant Plantae materia solvente amara et salibus instructae, quae praecedentibus eo adhuc praestant, quod digestionis et adsimilationis organis magis amica, non tantam ac cetera eorum debilitatem et laxitatem relinquant. Numeramus hic Taraxacum, Cichorium, Fumariam, Saponariam. Harum plantarum dum recentes sunt succi expressi praeprimis laudantur in Lichene, secus in Decoctis ordine dantur, junctae cum aliis remediis opportunis, salinis, acidis, diaphoreticis, diureticis.

Huc etiam referenda veniunt acida plantarum mitiora, quae aqua satis diluta impetum in systemate sanguifero conspicuum, et calorem coërcent, putredini renituntur. Hinc ubi major vasorum agilitas, aut aestus febrilis adsunt, ubi ingratus cutis calor molestat, aut ubi diathesis scorbutica delitescit, morbo et

1) Loc. cit.

molestis ejus symptomatibus cum successu opponuntur. Talia sunt, acetum, acidum tartricum; acidum citricum remedium, Lusitaniae medicis in Lichene livido admodum usitatum. Eadem fere virtute gaudent celebrata in eodem morbo acida mineralia, dum sat magna aquae quantitate diluta fuerint, acidum nempe sulfuricum, nitricum et muriaticum. Inter haec autem sulfuricum maximas sibi laudes promeruit, cujus usum salutiferum clarissim. *Batemann* in Lichene circumscripto memorat, ab aliis quoque pathologis *Evers* 1), *Simons*, *Mursinna* nominatum. Admiscentur vero vel aliis medicamentis, vel cum aqua et saccharo aut syrupo pro potu inserviunt.

Dum nobis de medicamentis externis sermo fuit, inter praestantissima illorum Sulphur numeravimus. Sed nec minor illius virtus dum interne adhibetur.

Princeps jam Romanorum medicus *Celsus* ejus usum collaudat: »Medicamentum non aliud valentius est, quam quod ad scabiem quoque pertinere auctore *Protarcho* retuli.« *Serapion* pulvere ex Sulfure et nitro composito Lichenes sanavit. Hinc et nostri aevi medici gratum in illo agnoscunt remedium, quod membranarum praecipue mucosarum, vasorum lymphaticorum et sanguiferorum vitam sollicitans, dum per vasa cutanea minima pro magna saltem parte iterum eliminatur, electivam et idiopathicam in cutem metamorphosim inducit, laesam illius functionem restituens. Praescribuntur ordinarie Flores sulfuris, quas cum Cremore tartari copulare amamus, praeprimis, ubi fluxus haemorrhoidum suppressus Lichenem sustinet.

1) Schmucker's vermischte Schriften. I. Bd. p. 171.

Magna est Stibii praeparatorum in vitam plasticam virtus, qua transpirationem cutis expediunt, secretionem, resorptionem humorumque per vasa reductionem promovent. Hinc in tractando Lichene, qui simpliciter diluentibus non cedit, non ultimum tenent locum. Adhibetur vero Antimonium crudum, Sulfur auratum antimonii et Kermes minerale. Praescribitur in forma Pulveris vel in Pilulis, cumque aliis adjuvantibus lubenter jungitur, uti cum Guajaci, Extr. Dulcamar., Aconito, Digitali, Scilla aliisque. Formulae nobis usitatae:

Rp. Antimonii crudi
Gummi resinae Guajaci nativae *aa scrup. duos*
Sacch. albi *dr. duas*
M. f. pulv. div. in dos. *decem.*
DS. O. trihor. pulv. unus.

Rp. Antimon. crudi *dr. semis*
Gummi resinae Guajaci nativae
Extr. dulcamar. *aa dr. unam*
Extr. Tarax. q. s. u. f. massa e qua forment pil. gr. *trium.*
Consperg. pulv. Cort. cinnam.
DS. O. bihor. pil. duas.

Rp. Sulf. aur. Antim.
Extr. Aconiti *aa dr. semis*
M. f. massa e qua form. pil. Nro. *triginta*
Consp. pulv. Rad. Liquiritiae.
DS. O. bih. pil. una.

Rp. Kermet. miner. *gr. sex.*
Calomel *gr. tria*
Sacch. albi *dr. unam*
M. f. pulv. div. in *dos. sex.*
DS. O. bihor. pulv. unus.

Etiam Hydrargyri usus in Lichene non adeo rarus est; quin morbus cum syphilide complicatus sit, dummodo lenioribus non cedit malum cum torpore incedens. Ubi vero Lichen expressionem sistit morbi venerei, absque Mercurio neque possibilem esse, per se patet. Praediliguntur mitiora Hydrargyri praeparata et sufficiunt plerumque Aethiops mineralis et antimonialis per se aut cum aliis copulatus, uti:

Rp. Aethiopis antimon. *scrup. unum*
Gummi resinae Guaj. nat. *dr. unam*
Extr. Tarax. q. s. ut f. massa, e qua
form. pil. *gr. trium*
Conspergant. polline Lycopodii
DS. O. 3 hor. pil. quatuor.

A recentioribus medicis vix ullum remedium tantam in sanando Lichene famam sibi conciliavit, quam Graphites (Carburetum ferri nativum, Plumbago) *Weinhold* 1) primus illius usum fecit, quem mox alii medici *Galès*, *Paret*, *Dusoubrier* susceperunt. *Weinhold*, qui eum in Forma pilularum et Electuarii cum Antimonialibus, Dulcam., Conio maculato, Chelidonio maj., Pulsatilla nigr. aliisque conjunctum adhibuit, pertinacissimos Lichenes sanasse contendit consumtis duabus — tribus unciis. Nos eum in pulveris Forma contra Lichenem cum successu adhibuimus.

Rp. Graphitis elutriati
Sacch. albi *aa dr. semis*
M. f. pulv. div. in dos. *sex*
DS. O. bihor. pulv. unus.

---

1) Loc. cit.

Restat adhuc adjungere famigera illa Decocta lignosa e Stimulantium ordine petita, quae, quin agendi eorum ratio satis innotescat, — nisi quod secretiones omnes imprimis serosas promovent, cutis transpirationem et urinae fluxum adaugent, — in sanandis morbis cutaneis vix non omnibus reliquis medicaminibus palmam eripuere, ita, ut in curando Lichene ab omnis aevi medicis usa et abusa fuere. Numerantur huc 1mo ligna aethereo-resinosa: Lignum Guajaci, lignum et baccae Juniperi, lign. Sassafras, Turiones pini, Frondes Sabinae. 2do Acria ex regno plantarum: Rad. Ononidis spinosae, Rad. Bardanae, Rad. Sassaparilae, Rad. Caricis arenariae. In lichene livido, omnia antiscorbutica: Bulbus Alii, Cepa, H. Cochlearia, Rad. Armoraciae, Scilla marina, Colchicum autumnale, Rad. Chelidonii majoris, Hb. Pulsatillae nigricantis 1). 3tio Narcotico-acria: Digitalis purp., Conium maculat., Aconitum, Caules Dulcamarae 2).

Alteram curae paginam momenta diaetetica absolvunt. Qui meminerit, nos inter causas producentes vitia quoque diaetetica enumerasse facile intelliget, quantum diaeta perversa sanationi obstare, juste e contra directa prodesse possit. Expertissimus *Lorry* 1) plura adducit exempla Lichenis mutata solummodo diaeta sanati. Servent igitur tali morbo adfecti solicitam cutis puritatem; quapropter balneis immergant corpus, linteamina et vestes in quantum fieri potest mutent, atmosphaerae in qua vegetant et habitationum curent purificationem. Imprimis autem adtentio dirigenda erit

1) Pag. 334. Loc. cit.

2) Do. *Bonnell* praeprimis laudata.

3) Ab initio eruptionem auget, Do. *Carrere*.

in seligendos cibos et potus. Vitent diligenter cibos acres, putrescentes aut in putredinem nitentes; abstineant a carne fumo indurata, nimis salita, a suilla, anserina, a piscibus salitis et piperatis, a leguminibus duris, a caseo.

Fugiant potulenta aromatica, spirituosa, vinum imprimis Rhenanum.

Bibant potius aquam meram vel cum pauxillo vini Gallici, potum ex Succo citri, ex Maltho paratum. Comedant carnem vitulinam, bovinam, gallinaceam, oleracea, spinacea, nasturtium aquaticum, oryzam, imprimis fructus horaeos maturos, quorum laudes *Lorry* imprimis celebrat: »Hinc qui saepe sub hyemis finem erupere lichenes, vernoque tempore foti aliquod adepti erant fastigium, ubi primum fructibus illis horaeis usi sunt homines, delitescunt, se potius evanescunt, rursum redituri.«

Therapia externa et interna explicata, licet paucis admonere verbis, ne unquam medicus morbi quocumque Lichen fors complicatus incedit, quemque evertere non ubique potest, rationem negligat; sed curam pro varia morbi concomitantis natura rite modificet. Sic ubi ex Febri intermittente ortum duxerit Amara, imprimis, corticem Peruvianum in auxilium vocet; contra illam ex Arthritide nat. Decoct. Lignor. Gummi ferulacea; ex vaccinatione, Erysipelate, Purgantia — Diaphoretica; ex suppressis Haemorrhoidibus, menstruis, Venaesectio, hirudines, purgantia; ex Venere, Mercurialia, ipsum sublimat. secundum *Van Swieten et Gordone*, Balnea etc. etc.

Restat adhuc de morborum, quos ex suppresso Licheno oriri supra declaravimus, medendi ratione aliquid adjungere. Duplex in tali casu therapiam dirigit indicatio, una Lichenis renovationem exposcens,

altera morbum metastaticum adgrediens. — Primae indicationi satisfaciunt remedia irritantia, partibus quas cacoderma prius obsessas tenebat, adplicata. Huc numerantur inunctiones cum unguento *Autenrithi* et Tinctura Cantharidum, adplicatio sinapismi vel Vesicantis, corticis Mezerei, ipsi fonticuli. Laudantur quoque urticatio, frictiones cum pannis laneis, balnea additis cineribus, sale culinari, sapone, sulfure, farina seminum sinapis, lixiva caustica, irritantia. Haec omnia per internum Diaphoreticorum usum, Liquor ammon. acet. Sulfur ejusque praeparato, Antimonialia refracta dosi Camphoram propinatis, Pulveres Doweri optime adjuvantur. Altera indicatio contra morbum metastasticum dirigitur, qui dum ab initio semper phlogosim sistat, secundum regulas pyretologiae specialis tractandus erit.

Literatura.

Abrégé pratique des maladies de la peau par *Cazenave* et *Schedel.* Paris 1828.

Praktische Darstellung der Hautkrankheiten nach *Willan's* System bearbeitet v. *Thomas Bateman*, übersetzt v. *A. Hanemann* et *Kurt Sprengel.* Halle 1815.

Traité théorique et pratique des maladies de la peau, par *P. Rayer.* Paris 1826, Tome I. pag. 571.

Willan on Lichen in 4. London 1798.

Robert. Willan de morbis cutaneis 1799.

Observationes et curationes chirurgicae auctore *Petro Foresto Alcmariano* 1610. Lib. I. p. 61. et Lib. II. p. 66.

Galeni class. III. Basiliae 1561.

Die Heilkunst der Krätze, Flechten und des Aussatzes von Dr. *Ludwig Vogel.* Erfurt et Gotha. 1818.

Carolus Lorry et *Steph. Ludov. Geoffroy* Tractatus de morbis cutaneis. Parisiis 1777, p. 242.

Theorie der flechtenartigen Ausschläge v. Dr. *W. G. Tilesius.* Leipzig 1802.

De Lichene tropico vide:

Hillary on the Climate and diseases of Barbadoes p. 3. Introd.

Moseley on the diseases of tropical Climates. p. 20.

Cleghorn on diseases of Minorca cap. 4.

Bontius de medicina Indorum cap. 12.

Theses defendendae.

I.

Renes solvunt impetigines.

II.

Intestina tenuia minus sentiunt crassis.

III.

Misere vivit, qui medice vivit.

IV.

Chirurgia medicinam praecedit efficacia.

V.

Aqua vitae — aqua mortis.

VI.

Sanguis non in omni corporis parte idem.

VII.

Excretoria conjunxit natura organa.

VIII.

Sensus in infante sejuncti sunt.

IX.

Homines frigidi *μακροβιοτάτοι.*

X.

Vinum potus — medicamentum — venenum.

XI.

Qui dormit vegetat.

XII.

Somnus solvit Nevroses.

XIII.

Desertissima medicinae pars — Hygiene

XIV.

Qui parum vivunt, diu vivunt.

XV.

Desperatum symptoma — cantus.

XVI.

Musica choream parit et sedat.